rentes, *Buxtorfius* in Dissertationibus Philologico-Theologicis sub finem versas adjunxit. *Vorstius* quod supra monitum fuit, *caput fidei*, *Ludov. de Compiegne de Veil* Exordium seu proemium commentarii Nostri in Leviticum, versioni *Maimonidae* de Sacrificiis, Londini 1683. quart. editae, adjunxit, ac simul *R. Mosen Maimon.* de consecratione Kalendarum & ratione intercalandi ibidem versione Latina elegantissima ornavit. *Pfeifferus* Wittenb. 1668. quart. & *Sebaldus Snellius* Obadiam, Altdorf. 1647. quart. *Scherzerus* in operae pretio Orientali, vel uti alias tit. sonat, in trifolio Orientali, Lipsiae 1663. 4. Prophetam Haggai, *Franciscus ab Husen* praefationem prolixam *Abrabanielis* in XII. Prophetas minores, ipsumque Hoseam, L. B. 1688. 4. *Constantinus l' Empereur* Jes. Cap. LIII. L. B. 1631. octav. *Johannes Diedericus Sprecherus*, Nahum Helmest. 1703. quart. & Habaccucum, ibid. eodem latinè reddierunt. Librum *Maschmia Jeschuah* quidam nomine *Jacobus Lippius*, vel potius ipse *Carpzovius*, ex sermone Rabbinico in latinum transferre pollicitus est, eamque ob causam primum oraculum de Bileamo latina civitate donatum, disputatione publica sub praesidio *Carpzovii* Lips. MDCXCII. habita evulgavit, quod tamen specimen nullum aliud deinceps ulterius excepit, quantum quidem novi; tamen Clar. Dominus Praeses meus propediem totum librum versione notisque instructum, in lucem prodire jubebit. Addemus interim, quae *Bartoloccius* l. c. habet. *Hunc*, inquit, (librum sc. Maschmia Jeschuah) *recapitulavit, & Latine reddidit Antonius Hulsius in Appendice sui libri de Messia, & Hebraice atque Latine evulgavit typis Abrah. Subingii, Bredae anno Dom.* 1653. in quart. *Maine Hajeschuah Buxtorfium* in stylum latinum convertisse testatur *Theophilus Spizelius* in arcanis Bibliothecarum revelatis, voce *Abarbanel*, quem librum & ipse à Buxtorfio communicatum descripsit, & in Bibliothecae *Spizelianae* catalogo extitisse recordor. Quid *Pfeifferum* post curam *Snellianam*

ad